



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Ivre, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Disputatio I. De Prudentia virtute.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

DISPUTATIO I

De Prudentia Virtute.

PVNCTVM I.

Quid sit Prudentia, & qualiter ab aliis virtutibus distinguatur?

- 1 Definietur Prudentia.
2 Triplex est actus virtutis Prudentia.
3 Specialis est virtus à reliquis distincta.

PRUDENTIA dicta est, quia procul videt quae agenda, vel fugienda sunt. Teste Isidoro lib. 10. Etymologiar. cap. 15. D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 1. caque de causa S. Basilii hom. 12. ad populum, quae est in princ. proverb. Salomon. S. August. lib. 1. de libero arbitrio c. 13. & lib. 83. q. 9. 3. 1. imò & Aristoteles 6. Ethicor. c. 5. docuerunt Prudentiam esse rerum appetendarum, & vitandarum scientiam. Verum ut rectè notavit Gregor. de Valentia. 2. 2. disp. 4. q. 1. pun. 1. in hac praecisa scientia, & cognitione, prudentia quae virtus moralis est, quae reddit hominem bonum consistere nequit. Quippe stare optimè potest hæc cognitio, quin operatio bona, & recta subsequatur. Etenim representata voluntati ab intellectu per naturam eius virtutem honestat, vel turpitudine obiecti, si voluntas honestum amplectatur, prudens erit; si verò turpe, imprudens iudicabitur. Non enim ex boni cognitione, sed potius ex boni operatione prudens dicendus est; nam ut rectè Philosoph. 6. Ethicor. cap. 12. non potest quisquam prudens esse nisi bonus sit. Verum supradicta cognitio, & operatio non à virtute Prudentia, ut est à reliquis virtutibus distincta procedit, cum communis sit omnibus aliis virtutibus. Quilibet enim virtus habet ex se ferri in honestatem sui obiecti, & à contrariis illius fugere, cuius honestatem vel contrarietatem intellectus vi sui luminis voluntati representat. Non igitur in hac representatione, vel operatione Prudentia virtus à reliquis distincta consistere potest. Quapropter existimo Prudentiam virtutem à reliquis distinctam, esse habitum, quo voluntas movet intellectum, ut honestatem cuiuslibet obiecti, vel illius turpitudinem in casu dubio investiget, vel de ea maturè iudicet. Nam esto intellectus, ex se habeat veritatem assequi, & in quolibet obiecto quid in eo honestum sit, quidue turpe agnoscere: at tamen cum ea honestas, vel turpitudine evidens non est, difficulter se applicat in illius investigatione. Ad hæc ergo difficultatem vincendam, Prudentiam specialem virtutem designamus. Unde Prudentia & pertinet ad voluntatem, & ad intellectum. Sed praecipue intellectui inhaeret, ideoque est intellectualis virtus: pertinet ad voluntatem, siquidem ab ea originem ducit, quatenus voluntas applicat intellectum, ut exactè examine quae honestas, vel turpitudine adsit in obiecto cuiuslibet virtutis. Ad intellectum verò pertinet, quatenus intellectus per voluntatem applicatus discutit, & examinat quid in quolibet obiecto amplectendum sit, quidue fugiendum. Ob quam causam D. Bernard. serm. 49. in cant. dixit. Prudentia non tam est virtus, quam quaedam moderatrix. & auriga virtutum, ordinatrix affectionum, & morum doctrix. & D. Th. 1. 2. q. 66. art. 3. ad 3. inquit. Prudentia non solum dirigit virtutes morales in eligendo ea quae sunt ad finem, sed etiam in praeservando finem. Est autem finis cuiuscunque virtutis moralis, attingere medium in propria materia, quod quidem medium determinatur secundum rectam rationem Prudentia. Ecce qualiter ex sententia D. Bernardi, & S. Thomae Prudentia virtutibus moralibus finem, & media ab ipsis prosequenda proponit.

- 2 Ex his inferitur triplicem actionem virtuti Prudentiae assignandam esse teste D. Thom. 1. 1. q. 57. art. 6. & 2. 2. q. 47. art. 8. Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 5. q. 3. p. 2. vers. prudentia, & 1. 3. disp. 4. q. 1. pun. 3. Primus est voluntatis, quo intellectus applicatur ad honestatem in quolibet obiecto operabili investigandam: ob cuius munus dixit Philosophus. 6. Ethicorum. cap. 5. prudentiam esse habitum cum vera ratione actum. Secundus ex parte intellectus, est consultatio, seu examinatio rerum agendarum, quidue in obiecto bonum sit, quaeque media aptiora ad illius consecutionem. Nam ut inquit idem Philosophus. dicto. cap. 5. Prudentis viri proprium est posse consultare de iis quae sibi bona sunt, atque vitiosa. Tertius Prudentiae actus, & ad intellectum pertinens, est rectè iudicare de iis quae in consultationem adducta sunt. Ut idem Philosoph. dicto. cap. 5. & seqq. comprobatur.
- 3 Secundò inferitur, Prudentiam virtutem esse specialem

à reliquis aliis virtutibus distinctam, quod passim docent Sancti Patres. Ambros. lib. 1. de officiis. cap. 27. August. lib. 1. de morib. Ecclesiae. cap. 15. & 24. Gregor. lib. 2. moral. cap. 36. Cassian. Collat. 1. cap. 23. Quin imò profani Auctores Philarc. lib. de virtute morum post princip. Cicero. lib. 1. & 2. Tusculan. qq. Seneca. epist. 68. Aristotel. 6. Ethicor. cap. 5. & seqq. id ipsum additunt, & colligunt aperit, sapientia. 8. Prouerb. 3. & 4. Math. 10. & 1. Petri 4. quibus in locis Prudentia commendatur. Ratio verò est manifesta. Nam virtus est habitus naturam rationalem perficiens, id est perficiens hominem quia homo est, seu quatenus ratione, & voluntate vitur. Ut colligitur ex D. August. lib. 83. qq. quast. 31. & lib. 2. de libero arbitrio. cap. 25. & 19. D. Thom. 1. 2. quast. 55. art. 4. & Philosoph. 1. Ethicorum. cap. 5. & 6. & 7. Physic. cap. 3. At Prudentia perficit voluntatem, & intellectum investigatione eorum quae expectanda, vel fugienda sunt, ergo est virtus. Quod verò sit specialis, & ab aliis distincta inde probatur, quia illius proprium est, difficultatem intellectus in rerum agendarum examinatione superare, & de ipsis sic consultis, & examinatis iudicium ferre. Sicuti ex sententia Philosophi, & Sanctorum Patrum tradit D. Thom. communiter receptus. 1. 2. q. 67. art. 5. & q. 58. art. 3. & 2. 2. q. 47. art. 4. & 5. Sigillatim verò declaratur esse virtutem ab aliis omnibus distinctam. Etenim à virtutibus Theologicis distinguitur; quia hæc Deum ut medium sui obiectum attingunt credendo, sperando, amando; at prudentia non in Dei cognitione, spe, vel amore, sed in honestate rerum agendarum investigatione versatur. At à Temperantia, Fortitudine, & Iustitia differt, ex eo quod hæc virtutes, mores hominis componunt, Prudentia verò operationes intellectus dirigit non omnes, sed eas tantum, quae in inquirenda honestate, vel turpitudine agendarum versantur. Ab aliis autem dotibus intellectualibus nempe sapientia, scientia, arte differt prudentia ex eo quod virtus sit, hominèque bonum reddat, quod illis dotibus non praestat. Etenim sapientia, & scientia in rerum cognitione sistit neque ultra procedit, at verò est ad opus faciendum dirigit, dirigit tamen ad opus externam, quo non redditur operans bonus, quia ex se nullam honestatem habet. At Prudentia actiones proprias hominis moderatur, ut ea moderatione adhibita bonus fiat.

PVNCTVM II.

Quotuplex sit Prudentia?

- 1 Triplex dividitur Prudentia.
2 Dividitur primo in partes integrales.
3 Secundò in subiectivas, & quae ha sunt?
4 Tertio in partes potentiales, & quae ha sunt?

TRIPlicem divisionem Prudentiae assignat D. Thom. 2. 2. q. 48. art. 1. Tùm in partes integrales, tum subiectivas, tum potentiales. Primò dividit Prudentiam in partes integrales sumptè metaphorà ab humano corpore, in quo pes, manus, oculus &c. partes integrales, quia ad illius esse perfectum concurrunt; sic functiones, sine quibus Prudentia perfecta non consistit, integrales appellavit D. Tho. non quia vere & intrinsece Prudentiam componunt, sed quia ad illius usum maxime iuvant. Quas esse octo D. Thom. nempe memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, attentionem, providentiam, circumspectionem, & cautionem. Etenim hæc omnes non leuiter conducunt Prudentiae vsui: ille namque prudenter operabitur qui praeritorum memoriam retinet, & praesentium cognitione pollet, & doctorum doctrinam, & eruditionem suscipit, & veritatem sollicitè inquirat, circumstantias agendorum, reique statum, & quae inde euenire possunt attendit, mediisque ad finem consequendum disponit, ac tandem praecaverit, & remouet quae illius consecutioni obicere possunt. Ex his sollicita tantum cognitio status rei agenda & illius circumstantiarum, est actus à Prudentia elicitus: reliqua verò ad acquirendam prudentiam, vel acquisitam, perfectum usum pertinent. Secundò dividit Prudentiam in partes subiectivas nempe: pe monasticam, & politicam, sicuti dividitur animal in rationale, & irrationale. Prudentia monastica, seu regularis, & particularis singulis modum agendorum praescribit non solum quatenus priuatae personae sunt, sed quatenus sunt communis partes, & membra. Politica verò seu gubernatiua bonum commune respicit: Hancque subdiuidit in aconomicam, hoc est familiaris bonum spectantem in legislatricem, quae leges in commune bonum considerat; & in ciuilem, quae recta ciuitatis administratio, & legum obseruatio procuratur; ac denique in militarem, quae

quã milites disponuntur, vt strenuè & fortiter munus suum obeant.

Porro Prudentia monastica singularis, seu particularis, quareque propriissimè Prudentia nuncupatur, vt potè quã bonum habentis spectat, specie differt à Prudentia legiflarice, œconomica, & ciuili, & militari quã alienum bonum respiciunt. Si autem Legislator leges condit, & Patrifamilias domesticorum curam gerit, & Magistratus ciuitatem, & Dux exercitum gubernat, & suo muneri satisfaciatur; ea Prudentia monastica, & singularis nuncupanda est. Vt igitur œconomica, legiflarice, ciuili, & militaris appelletur, aliorum bonum, non proprium per se spectare debet. Sed an quælibet ex his prudentiis plures species sub se contineat? difficultate non caret. Aliquibus placet continere iuxta diuersitatem obiectorum, quam prudentia superare intendit; quippe alia est difficultas in humilitate assequenda, alia in assequenda iustitia, alia in assequenda temperantia; ideoque stare optimè potest esse prudentem in vfu iustitiæ, non tamen in humilitatis vfu. Itemque in gubernatione vnus familiaris, ciuicis, vel exercitus, non tamen alterius; eo quod personæ, loca, tempora, & circumstantiæ diuersum procedendi modum requirant. In contrarium autem est quia quælibet ex his prudentiis vnica rationem formalem respicit, nempe inquisitionem eorum quæ agenda, vel fugienda sunt, in propriam, vel alienam perfectionem. Quod verò illa perfectio sit in materia iustitiæ, humilitatis, vel temperantiæ, vel circa familiam, ciuitatem, vel exercitum, per accidens est, & quæ modum operandi Prudentiæ non videtur immutare. Sed distinctiue opus est, si loquamur de Prudentia virtute supernaturali infusa credendum duplicem tantum esse Prudentiæ speciem atomam nempe, quæ in bonum habentis ipsam, & in propriam actionum moderationem dirigitur, & quæ in bonum aliorum, & eorum regimen ordinatur. Nam cum hæc virtutes sint quasi potentie, actus specie diuersos continere valent, si sub vna eademque ratione formalit attingantur, vt contingit in Fide, Spe, & Charitate supernaturali. At si de Prudentia naturali acquisita sermo sit, existimo quamlibet ex supradictis prudentiis varias Prudentiæ species sub se continere. Nam est ratio formalis vnica sit, at materialis, & quæ per se, & immediatè ab actibus attingitur diuersa est, ac proinde sufficit diuersitatem in actibus constituit. Quã diuersitate constitutã habitus ex iis actibus producti specie differre debent; cum habitus acquisitus, sit facultas quedam ad producendos actus similes illis à quibus generatur est. Sicuti docuit D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 1. Gregor. de Valent. 2. 3. disp. 4. qu. 2. p. 1. & q. 3. 10. Lessius. lib. 1. de iustit. cap. 2. dub. 1. n. 6. & alii.

Tertiò D. Thom. quæst. 57. ex Philosopho. 6. Ethicorum. cap. 9. & seqq. diuidit Prudentiam in triplicem partem potentialem, hoc est, in triplicem actum, qui ex prudentia tanquam ex potentia laboratur; nempe Eubuliam in consultatione rerum agendarum versantem; Synerisum rectum iudicium de rebus in consilium adductis secundum leges communes, & ordinarias profertentem; Gnomon cum iudicium profertur ex naturali ratione præter verba legis ob circumstantias occurrentes ex benigna Legislatoris voluntatis interpretatione. Etenim cum superius dixerimus prudentiam esse intellectualem habitum pro difficili agendum cognitione inductam, efficiunt sane hæc consultationes, & iudicia ab ipso habitu Prudentiæ tanquam à causa efficiente provenire. Fateor tamen, vt rectè norauit Gregor. de Valent. 2. 2. disp. 4. q. 3. p. 1. hos actus specie distingui, & consequenter habitus ex ipsis genitos. Tum quia stat optime quemlibet prudentem, & solentem esse in honestatis agendorum inuestigatione, media cum fine comparando, cum tamen postmodum in iudicio delinquat.

PUNCTUM III.

Qualiter aduersus Prudentiam pecces?

- 1 Peccas dupliciter per excessum, & per defectum.
2 Quale peccatum sit cum per defectum peccas?
3 Qualiter per excessum recedens à Prudentia pecces?

Dupliciter D. Thom. 2. 2. q. 53. 54. & 55. asserit aduersum Prudentiam te delinquere posse; primò per defectum, secundò per excessum. Per defectum delinquis præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia. Per excessum prudentiã carnis, astutiã, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & futurorum sollicitudine. Etenim cum Prudentia sicut & quælibet alia virtus moralis in mediocritate consistat, denari ab eius rectitudinis potes per defectum, vel per excessum. Primò namque deuias per defectum præcipitatione iudicij, cum ad iudicium properas

Ferd. de Castro, de iust. & iur.

nullã, vel insufficiente consultatione de rebus agendis factã. Secundò à Prudentia recedis inconsideratione circumstantiarum, aliarumque rerum, ex quibus rectum iudicium efformandum erat. Tertiò inconstantia, cum nullã, vel leui ratione ductus à maturo prudentiæ consilio, seu iudicio desistis. Quartò negligentia cum ex quadam animi laxitudine, & torpore prædictam consultationem, & iudicium de rebus agendis omittis, vel insufficienter præstas.

Sed dubiæ quæstionis est, quod peccatum sit hæc præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia? Sub distinctione respondeo, si circa aliquam determinatam materiam versentur pro illius qualitate, & grauitate, peccati rationem habebunt, & in ea specie constitutam in qua fuerit materia. Exemplum est, si absque vlla, vel leui examinatione, an dies sit festiuitas Missam omittis, peccas grauius aduersus Religionem. Si proximi peccatum reuelles absque debita inquisitione, an id facere possis, peccas contra iustitiam, & sic de aliis virtutibus. Vnde hæc præcipitatio, & inconsideratio non est aduersus specialem Prudentiam, sed cuiuslibet virtuti opponitur. Quare inconsideratio, & inaduerentia, negligentia, & inconstantia, vt prudentiæ speciali opponantur, nullam determinatam materiam spectare debent, sed in genere, & in communi procedere, nolendo honestatem agendorum examinare, nec de illis iudicium maturum habere. Sicuti Prudentia non virtutibus singulis modum procedendi præscribit, seu generatim procedit determinando intellectum, vt dubia examinaret, & de ipsis maturè iudicet. Velle autem hanc agendorum examinationem, & iudicium omittit, præter peccatum est non ratione sui, sed ob periculum omittendi plurius præceptorum executionem. Non enim Prudentia (vt bene aduertit Lessius lib. 1. de iustit. 1. cap. 2. dub. 4. num. 20) per se præcipitur, sed propter opus quod ex illa regulandum est. Sic imprudentia non ratione sui peccatum est, sed quia causa est peccata plurima committendi.

Rursus per excessum à Prudentia recedis. Primò Prudentia carnis, hoc est cogitatione, & inuelligatione eorum, quæ carnali appetitui accommodata sunt. Quam Prudentiam vt potè falsam, & fallacem dixit Apostolus. ad Rom. 8. Deo esse inimicam. Estque peccatum mortale, vel veniale iuxta qualitatem finis consequendi. Secundò astutiã, id est cogitatione mediocum simulatorum, & fallacium pro fine consequendo, cuius peccati grauitas ex affectu pensanda est, sicuti diximus de prudentia carnis. Est enim quedam illius species, ac proinde prohibita ab Apostolo 1. Corint. 4. Non ambulantes in astutiã. Tertiò dolo, seu astutiã executione, verbis, vel factis præstitã in proximorum dampnum. Vt de peccatoribus Ecclesiast. 19. dicitur. Interiora eius plena sunt dolo. & Psalm. 5. Dolo tua diem meditabantur. Ad idem est fraus, quæ à dolo differt ex eo quod per facta tantum deceptionem præstet. Quartò à Prudentia decidis sollicitudine nimia, temporalia conquirendi, vel conferuandi vt potè à Christo prohibita. Matth. 6. illis verbis Ne solliciti sitis anima vestra quod manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Tandem te opponis Prudentiæ futurorum intempestiã sollicitudine, cum futura præter ordinem, & rationem prouidere cupis, quod damnauit Christus Matth. 6. dicens Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Notanter dixi nimia temporalium, & intempestiã futurorum sollicitudine. Nam moderata temporalium cura, & tempestiua, seu prouida futurorum cautio non à Christo reprehenditur, sed potius ab Spiritu sancto commendatur. Deuteronom. 12. ibi Vtinam saperent, & intellexerent, ac nouissima prouiderent. Et Proverb. 6. Vade ad formicam & piger, & considera vias eius, & discite sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem parat in astute cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Quod si roges, quæ sollicitudo erit nimia, vel intempestiua, quæque moderata, & tempestiua, ex prudentis arbitrio iudicandum est, spectatã negotij qualitate. Illud certum: temporalium, vel futurorum sollicitudinem quæ animum ab spiritualibus auocat, immoderatam & intempestiuam esse, & omnino execranda.



DISPUTATIO II.

De Fortitudine Virtute.

AMETSI inter virtutes Cardinales secundum locum Iustitiã obtineat, vt potè nobilior Fortitudine, & Temperantia, quia tamen eius materia vastissima est, in fine eius explicatione referuamus præcipue